



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-642707-p0001-0

DFG



Pr. 27. num. 29.

3. A. 79. 10

4
DISPUTATIO JURIDICA
Brevem enucleationem jurium,

Quæ de

Legitimatione

per subsequens matrimo-
nium extant, exhibens,

Quam

QUÆSITA SALUTE DIVINA

Permissu& autoritate Magnifici Dn. Ordinarij & Amplissimi Collegij Juridici in
Incolita Lipsiensi Academia.

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

Dn. QUIRINO SCHACHERO

Philosoph. & U. J. D.

Publicè defendendam suscipiet

CASPARUS Bierling Lipsiensis

XX. Martij, Anni CHRISTI

o. Ioc. XXVII.

In Acroaterio Jutorum horis consuetis.



Lipsiae, Typis exscribebat GREGORIUS Kirsch.





THESES I.

Uiratum Leges, ut tempori & libidini hominum aliquid darent, & mala majora præcaverent, permisso civi Romano, habere loco uxoris concubinam, i. e. fœminam non amoris & pudoris causâ, (quem in finem accipiuntur uxores.. Nov. 89. c. 1. §. 1.) sed ardoris, & libidinis ex plendæ causâ. l. 4. ff. de concub. ex rubro & nigro, ff. & C. de concub. & autoritate Marcelli in l. 3. §. 1. ff. de concub. in aprico est.

2. Num ritè rectèque? Imp. Leonis Nov. 91. & cum primis sacra pagina, ad quam omnes leges, tanquam ad Lydium lapidem revocandæ, arbitri, judicesque sunto,

3. Ut maximè autem Romana jura in hac probrofa commixtione conniverint: attamen liberos ex concubinis natos, nec pro legitimis reputabant, nec ullâ humanitate complectebantur, sed ut alienigenum aliquid, & omnino ab republica alienum, teste ipso Justiniano in prefat. Nov. 89. æstimabant. vid. gl. germ. ad verb. als zween jährige Ochsen. lib. 3. Land X art. 45.

4. Atque hinc naturales tantum, utpote quos sola natura, non etiam lex agnosceret, nomine conveniente, secundum S. fin. J. de donat. & Nov. 15. in pr. junct. S. pen. J. de nupt. indigetabant. d. Nov. 89. c. fin. 32. q. 4.

Dp concubina
In quatuor finem
Ducantur

Dp naturali
vis.

anno Constantini
ad imperium
fuerit.

5. Quia verò non tam attendenda ultio & interdictio, quam quod in necessitate & malè affectum curandum: (quis enim factum infectum reddere potest?) & diffugiendum quidem quod corruptum, inveniendumve undique quod melius, ut iterum in cancellos legum redeatur, graviter monente Justin. *in prefat. d. Nov. 89.* Ideò *Constantinus Imp.* qui circa annum Christi 310. ut habet calculus Calvisij, ad imperium elevatus, & subsequente anno 311. Romanum Imperium venerandā Christianorum fide munivit, & multas perutiles leges de conjugiis & castitate, quarum quasdam recenset *Charion. in sua Chron. lib. 3.* fecit, à vero tramite honesti amoris per concubinatum seductos, ad viam regiam legitimæ conjunctionis allecturus, & casu castitatis (quod cæteri modi non præstabant) inventurus, fortè circa annum Christi 324. vel 336. ut ex subscriptionibus *l. un. C. de concub. & l. i. C. de natur. lib.* colligere licet, & cum super ingenuas concubinas ducentas uxores, tum liberos ex iisdem antè vel post concubinatum procreatios, pro legitimis habendis, hujuscemodi tenoris: *Omnibus esto integrum ingenuam concubinam ducere uxorem, &, qui hoc fecerint, eorum liberi ante & post concubinatum progenti, legitimi & sui sunt:* sacratissimam edidit Constit. non ignarus illius *Seneca in Epist.* Homines ad pecuniam & boni & mali.

6. Et ex tunc demum nomen naturalium librorum scribi in Constitutionum libris cepit, ut iterum testatur *Imp. in prefat. Nov. 89.* Primis namque parentibus, ut liberi æquè liberi, & ab ipsa procreatione legitimi: Ita bellis exortis, & libidinibus intemperanter

ranter excretis, quidam liberi; quidam legitimi; quidam naturales effecti sunt.

7. Non levis est ergo error eorum, qui hanc speciem Legitimationis inter causas spirituales referunt, *Brunell. in tr. de spons. concl. 2. decl. 1. n. 6.* eleganter *Modest. Pist. conf. 46. n. 24. vol. 1.* proindeq; decisiones ex Jure Canonico petere volunt. *Fach. 3. controv. 51. Sich. conf. matrim. 3. n. 34.* cum sit merum inventum Imp. Constantini, & à foro Ecclesiastico non minus quam patria potestas, maximè, quia ad paria judicantur, *Wef. conf. 44. n. 48. 49. 60. 61.* removenda. *Nov. 89. c. 1. ibi.* Imperatoria verò constitutiones aperuerunt.

8. Præcitatam autem constitutionem amplius non habemus, ne quidem, miramur, si benè vidimus, in Codice Theodosiano, quem in lucem primus protulit *Joh. Sich.* Anno 1528. auxit *Tilius* Anno 1549. elegantiorē & perfectū, ut putat, fecit *Cujac.* Anno 1566.

9. Ejus tamen jactura tanti facienda non est: quamvis non parum nostra intersit habere leges abrogatas, per rationem allegatam ab Imp. in d. *Nov. 89. c. 7.* & plures alias à *Joh. del. Castillo tr. controv. quotid. c. 29. n. 12.* Habemus namque sensum ex relatione Imp. *Zenonis in l. 5. C. de natur. lib.* Cum enim animadverteret Imper. Zeno, Constitutionem Constantini æquissimam, vel multorum defugere memoriam, vel à plerisq; nequitoribus, qui, spretis legitimis conjunctionibus, contubernia eligerent, nihilominus posthaberi; ea propter Anno 476. secundūm *Cont.* secundūm *Hol. 478.* & sic centennio præter propter elapso, eandem renovavit.

legitimationis
potestas ppn
Ex à foro Ec
clastico.

2. legilg. 10
galis

10. Quod autem verum sensum d. Constantin. Constitutionis bipartite loquentis saltem de ingenuis concubinis, eruimus, magnoperè attinet præscire (1.) Non solum ingenuas, sed & libertas concubinas esse potuisse: & frequentius à patronis & aliis, libertas in concubinas assumtas fuisse. l. 24. de R. N. l. 31. in pr. ff. de donat. l. 3. in pr. de concub. Et licet etiam quandoque, rarissime tamen, ingenuæ, libidinis causâ, concubinæ fieri voluerint: attamen eas, vel alias profligatae pudoris fuisse; vel testato, Menoch. conf. 60. n. 3. Wesenb. conf. 44. n. 53. apud Aediles, ut conjicit Conan. lib. 8. c. 13. id facere tenuisse, ad hoc ut stupri pœnam, in quam eō ipso, dum sine declaratione voluntatis coeunt, incidunt, evitarent, constat. l. 3. pr. ff. de concub. (2.) Ingenuas foeminas duntaxat honestam vitam degentes, uxores ductas fuisse, non quas impudicitia denigraverat, & spurcites vitæ per concubinatum commaculaverat. l. item legato 49. §. parvi 4. de leg. 3. fac. l. imperialis 23. §. 1. C. de Nupt. l. 41. §. 1. de R. N.

II. Nam, si adhæc advertemus, rationem dubitandi quoq; in utroq; membro Constantinianæ Constit. in promptu habebimus: Quoad primum quidem, quia ingenuæ, si concubinæ factæ, nomen matris vel matronæ amisisse videntur. l. probrum 41. §. 1. de R. N. quoad secundum autem; quia ex eâ, quæ uxor esse non potest, liberi legitimi procreari nequeunt. §. pen. 7. de nupt.

12. Mirum autem alicui videri posset, quod Imp. Constantinus saltem de ingenuis, non etiam libertibus hoc jus reddiderit; cum & patroni libertas uxores ducere potuerint. per clar. §. justæ 5. f. quib. ex caus. man. non

non lic. & frequentius libertæ loco uxorum altæ fuerint. Nisi ad frequentiam animum intenderit, & ex ea rationem desumferit.

13. Renovavit autem prædictus *Zeno* memoratam Constit. in casibus præteritis saltem, non etiam futuris: Voluit namque eandem sartam tectamq; servare, & eos illius beneficio gaudere, qui, non extantibus uxoribus, aut legitimis liberis, ante suam legem, ejusdem memores fuissent: eos vero, qui ad tempus iussionis suæ matrimonium distulissent, & quos dictum beneficium ad conjunctionem legalem incitare non potuit, imposterum indignos esse, existimans ejusmodi procrastinatores nafo adunes favorem legis suspendere, proindeque vicissim nullo mutuo affectu prosequendos esse: & magis expedire reipub. si nullum commodum sentiant contubernia præponentes matrimonii, quam si sub peccandi licentia, quam omnes detinores sumus, primò leges violent, & tandem ad fastidias leges recurrent. *d. l.5. C. de natur. lib. Diff. Valent. Forst. tr. de success. ab intest. lib. 6. c. 20.*

14. Stetit autem d. Legislatio Zenonis ad annum 32. circiter; Anno siquidem 508. *Anastasius* non solùm rem ad antiquam Constantini Constit. reduxit, sed etiam naturalium liberorum jus magnam partem auxit. Etenim non solùm illorum liberos naturales ad classem legitimorum & suorum liberorum refert, quorum matres ante & post Zenonis sanctionem, pactis dotalibus intervenientibus, cum patribus justæ copulatae; sed & quorum matres pro uxoribus nunquam agnité: modò ipsi solùm extarent, nec ulli alij legitimi liberi aut uxores cum his concurrent; quicquid etiam

etiam contra prætenderent agnati & cognati, quibus
alioquin jus succedendi & prælationis competeret in
defectum legitimorum liberorum, exclusis naturali-
bus : hanc in opinionem suam afferens ratione in, ab
absurdo ductam : Si non hujusmodi naturales forent
legitimi, patribus potestas acquirendi per liberos au-
ferretur, quod non ferendum. l. 6. C. de natur. lib.

15. Observandum verò quoddid. Constitut. Anastasij loquatur (1.) generaliter de quavis concubina. (2.) de nuptiis pactis dotalibus stipatis : Exinde enim duæ quæstiones moveri possent. (1.) Num sit generaliter intelligenda? (2.) Num nuptiae sine dotalibus pactis consistere possint? Ad quas tamè infra commodior locus respondendi dabitur. Nunc historiam nostram contexemus.

16. Sicuti autem non diu perduravit Constitut. Zenonis matrimonio vim legitimandi auferens ; Ita & non multum post manum correctricem sensit Anastasij Constit. nimis favens liberis naturalibus, & generalis existens. Ecce enim *Justinus*, pater Justiniani nostri anno 2550 yovias 519. insurgit in l. Anastasij 8. C. b. t. & præmemoratam constitutionem, ad casus ante Constitutionem suam emersos, restringit ; ita tamen si matrimonium secutum, & concubinatus non in incestum & nefarium coitum versus fuerit : Quo ad futuros autem, & post suam iussionem contingentes casus, disponit : Neminem pro legitimo habendum, quam qui primitus ex legalibus nuptiis procreatus : ne venia defendere videatur concubinatum injustarum libidinum concupiscentias ; flagitiis fenestram aperiat ; & quod ex unâ lege iniquum alio legis fuso & colore obli-
niat,

niat, contra honestatem, pietatem & æquitatem.

17. Atq; hæc usq; ad *Justinianum nostrum*: Quia, verò ipse animadvertisit, patrem suum in eō nimis severum censoreni egisse. *Nov. 89. c. 1.* contra boni Principis naturam. *l. 23. imperialis in pr. C. de nupt.* quod liberos naturales, ne quidem concubinatu in matrimonium justum converso, legitimos esse voluerit; proindeque eos à suis patribus matrimonio constante procreatis, sibi solū paternam hereditatem vindicantibus, excluderit: cum tamen eorum causâ & intuitu nuptiæ, ex quibus legitimatem, ut sic loquamur, consecuti, celebratæ fuerint; Et hinc potius iisdem summas gratias referre, quam pro summo illo beneficio exclusionis lapidem offerre debeant; maximè cum verisimile sit, patrem primitus affectionem legalem & maritalem habuisse erga matrem. *l. nuptias 30. de R. f.* Ideò Anno 529. dum circa confectionem Instit. laboravit, rem ad normam Constantinianam reduxit, exequans liberos naturales ante matrimonium procreatos, liberis in matrimonio editis, utrosque legitimos vocitando. *l. cum quis 10. C. de natur. lib.*

18. Et hæc est ratio, cur se Justinianus pro autore legitimationis per subsequens matrimonium in *Nov. 89.* vendit, nempe, quia abrogatam renovavit.

19. Dedit autem hacce perillustri sua Constit. non nullis subtilioribus ansam disputandi, in casibus, ubi quis liberos ex secundò matrimonio non sustulisset; vel sustulisset quidem, sed exticti essent; vel in concubinatu concepti, in matrimonio verò editi, qui existimabantur. *l. 10.* in enumeratis casibus non esse veram & usurpandam, eò, quia ratio decidendi in eis cessaret,

B

juxta

2A

juxta vulg. Cessante ratione legis, cessat ejus dispositio: nem-
pè proles subsequens legitima, cuius gratiā & favore
& ipsi antecedentes liberi, licet illegitimi, legitimi ef-
fecti: quod in primo & secundo casu, per se patere
dicebant, in tertio autem exinde verificabant, quod
conceptus ante matrimonium, & in lucem protractus
in matrimonio, potius pro naturali, quam legitimo
habendus: propterea, quod quoad partum, inspici-
mus tempus conceptionis. Ne verò horum subtilita-
tem supervacuam tacendo approbare videretur, ex-
pressè Anno sequenti 530. eandem amputat, *per l. nu-
per ii. C. de natur. lib.* sanciendo: nullo modo nuperri-
mam suam Constit. in citatis casibus limitandum esse:
sufficere enim, quoad primum & secundum casum,
patrem, ut naturales legitimet, affectione maritali
erga matrem inflatum fuisse, & spem tollendæ so-
bolis concepisse: & licet spe frustretur, vel eâ recidat,
esse tamen casum fortuitum, qui nemini imputandus:
In tertio verò casu, minus dubium adesse, quando per-
absurdum aliis opitulari posse, & sibimet non posse.
Et ne quicquam scrupuli supersit, in favorem libero-
rum, prout ipsis commodum erit, tempus editionis vel
conceptionis impostorum inspiciatur, simul disponit.
Nov. 89. c. 8. vers. insuper.

20. Et ex hoc loco demonstramus, legitimatio-
nem per matrimonium subsequens, etiam in articulo
mortis factam, esse validam. *Treutl. vol. 2. disp. 16. tb. 2.
lit. a. Berch. ad §. fin. J. de nupt. n. 8. Wesenb. cens. 44. n.
44. Gamma tr. de ad mort. condem. q. 4. Sich. cons. matri-
mon. 3. n. 13. 14. Diff. Bl. in l. eam quam. C. de fideicom.*

21. Sicuti etiam illam, quæ ab ad mortem con-
demna-

NB

demnatis celebratur, ut latè *Gamm. d. tr. de ad mort. condem. q. 4. tractat*: Et à decrepitis. *Arnis. tr. de jure con-nub. c. 2. sect. 4. n. 7.*

22. Hisce dubiis feliciter remotis, novum quod-dam Imp. à nonnullis gentibus suggestum fuit, quod tale: Habuit quidam uxorem justam, suscepitq; ex eâ liberos, eadem autem mortuâ, vel matrimonio legiti-mitè soluto, ad aliam, cum quâ licitè matrimonium contrahi poterat, consuetudinem habuit, & ex eô complexu filium nactus est naturalem. Ut autem eun-dem legitimum efficeret, matrem in uxorem duxit, factusque fuit denuò vel pater duorum liberorum; vel mortuorum; vel viventium; vel nullos præterea consecutus. Eodem mortuo, posteriores liberi voluerunt æqualiter succedere cum prioribus ex primo matri-monio procreatis; liberi verò ex primâ conjugè nati intendunt fratres posteriores excludere, moti fortè per l. jubemus 6. C. d. t. & l. si qua illustris s. C. ad SCOrfit. Ne igitur hac in parte suo officiò deesse videretur, è re sua fore putavit, hanç quoq; dissolvere dubietatem: Ea propter intentem suam declarat Anno 535. per Nov. 12. c. 4. & dicit, se nolle exclusos esse à suis non ita pridem editis Constit. prædictos casus; sed velle unum idemq; esse, ac si nullam uxorem antea habuisset: cum non sit dubitantum ratio firma & concludens hoc modo concepta: habet ex primâ conjugè liberos justos: Ergò ex secundâ nullos amplius consequi potest. fac. l. impe-rialis 23. §. 1. C. de Nupt.

23. Atque ex hujus Novel. verbis finalibus & conclusivis, simul etiam notamus, cum Vasq. de success. progr. §. 2. n. 89. legitimatos per subsequens matrimonium,

in jure primogenituræ præferri iis, qui postea ex legitimo matrimonio nascuntur, Contra Tiraq. de jur. pri-
mogen. q. 34. per tot. Hæn. disp. ad Pand. 9. th. 5. lit. a. Treutl.
vol. 1. disp. 2. th. 7. lit. b. & vol. 2. disp. 16. th. 2. lit. d. Geit.
2. obs. 141. n. 3. & communiter Dd. non qui antea.

24. Quemadmodum autem nonnulli, ut hactenus
relatum, ex l. jubemus 6. C. d. t. præsumserunt sanctio-
nem Justinianeam restringere & limitare ad casum,
ubi liberi ex primo matrimonio extarent nulli: Ita
etiam à plerisq; de tām certis & perlucidis Constit. ul-
terius ex l. Divus 5. C. d. t. dubitatum, perq; multas lites
in judiciis ventilatum fuit: Num sint etiam intelligen-
dæ & exaudiendæ de naturalib; liberis, non ex inge-
nūis concubinis, sed ex ancillis & libertabus procrea-
tis. Cumq; justum fuerit, ne amplius de hac re quæ-
stio moveretur Anno 536. eandem per Nov. 18. c. fin. ubi
primò retulit, cur l. cum quis 10. ediderit, eaq; ad calli-
dam quorundam interpretationem per l. nuper 11. C. d. t.
declarata fuerit, & deinde dubitantum negligentiam,
quod oculis bene usi non fuerint, eosdemq; in scopum
intentionis suæ, quem tamen facile ex eō animadver-
tissent, quod cum libertabus matrimonium celebrare
nullibi prohibitum, & se locutum fuisse de omnibus
concubinis, quibus cum matrimonium esse possit,
non intenderint, strinxerit; hoc modo determinat:
Ut liberi ex liberta & ancilla nati unā cum matribus le-
gitimi fiant per subsequens matrimonium, sive in eō
nascantur liberi, sive non (utrumq; enim casum ex l. 10.
& l. 11. comprehendere voluit) præter manumissionem
(serva enim uxor esse nequit) requiro pro utrisque &
juris aurorum annulorum, & natalium restitutionis
impe-

impetracionem, nec non pactorum dotalium confectionem, & ne pater habeat legitimam uxorem sobolemve, quod posterius tamen saltem habet Codex Scrimger. non etiam Russard. vel, si mavis, Duar. vel Holoandri. Diss. Myns. ad §. aliquando. lit. b. J. de nupt. ex Aret.

25. Porrò ne in his quidem calumniantium iniquitas acquievit. Insurrexerunt enim non pauci, qui existimavere, leges Justiniani, nimirum l. 10. l. 11. C. d. t. Nov. 12. c. 4. non esse trahendas ad casus præteritos nondum vel amicabiliter vel judicialiter decisos, sed ad futuros, patribus adhuc viventibus, idq; ex eò fundamento, quod clausula illa extensiva legum ad præteritos casus, quæ primitus, dum edebantur constitutions, apposita erat, non simul in Codicem relata, neq; Nov. 18. c. 4. inserta fuerit; proindeq; quod mentem suam mutaverit, & quod saltem in casibus futuris valere debuerint, satis superq; innuerit.

26. Verum enim verò horum ratiocinationem, ineptam & perabsurdam esse exinde putat, quod quidem, ejusmodi adjicere clausulas, cùm particulariter eduntur leges, sit necessarium, cum verò in Codicem transportatae, & una l. interpretata, supervacuum: tum propter multitudinem: tum naturam relationis ad legem interpretatam.

27. Quamobrem, ut & his calumniandi materiam auferat, & solum item litis planè submoveat; eodem anno dd. II. Et Nov. ad præteritos casus nondum sepultos, Nov. 19. quam, mirum est, non epitomasse (ut sic loquamus) Irnerium, extendit.

28. Disputationibus hactenus enumeratis sublatis, & illorum querelis, qui quidem nihil magis in votis

habebant, quām legibus Justiniani sese accommo-
dare, propter casum autem fortuitum & inopinatum,
voti compotes fieri non poterant, si concubina vel in-
partu; vel, dum de pactis conficiendis deliberabatur,
periisset; vel delictum, propter quod honeste & com-
modè uxor fieri non posset, commisisset; vel à liberis,
ut patrem spolient usufructu, occultata fuisset, & simi-
libus, &c. per Restitutionem natalium ab ipso Imp. si
non adsunt justi liberi, impetrandam, exemplo Nov. 18.
c. fin. Anno 538. succurrit in Nov. 74. *c. 1.*

29. Et quia, ex plurimo causarum experimento,
insuper cognovit, graves semper lites & controversias
motas fuisse in suo Consistorio de pactis dotalibus, quæ
præcedentes leges ad subsequens matrimonium re-
quirunt, ut retrotrahatur ad tempus primi congressus,
vel concubitus: num sine eis liberi legitimi efficiantur?
Ideò una opera *d. c. 4.* hoc dissidium competenti defi-
nitione resolvit, requirens in majoribus dignitatibus,
ab illustribus usque ad principales, de formâ ad legiti-
mationem, pactorum dotalium confectionem: in
mediae æstimationis hominibus, aut instrumenta, aut
confessionem in templo coram Defensore ejusdem &
tribus testibus, faciendam, & in scripturam ab Episco-
po, cum designatione inductionis, mensis, diei, loci,
temporis, consulatūs, unà cum subscriptionibus te-
stium redingendam: In abjectis, & fece plebis, itemq;
militibus caligatis, & rusticis, nudam testationem: ut
maximè in antiquis legibus promulgatum, & ab ipso
met Imp. aliàs idem statutum fuerit, ut & nuptiæ extra
dotalia instrumenta ex solō affectu subsistant, & ratæ
sint. Idq; omne in eum finem, ne tota respub. fictitiis
matri-

matrimoniis repleretur. *Nov. 89. c. 1.* §. legitimi. uti multi, ex perbenignis & blandis concubiniorum appellationibus, ex nimio amoris furore, lingua potius, quam corde, natis, quodammodo de matrimonio testari, non erubescentes, induixerint, quasi amor nesciat distinguere, & linguam refrenare: & *Martial. lib. 5.*
Epigr. malè cecinisset:

Cum voco te dominum noli tibi Cinna placere,
Sæpè etiam servum sic resaluto meum.

Harpr. p. 1. disp. 5. tb. 9.

30. Et secundum hanc partem *Nov.* explicandus est §. fin. J. de nupt. §. intestatorum. J. de hered. quæ ab intest. defer. requirens generaliter pacta dotalia: Licet *Dd. communiter, teste ibid. Mynsing.* afferant indistinctè, pacta dotalia necessaria esse. *Tessaur. decis. Pedemont. 83.*
Giph. ad §. fin. J. de nupt. ibid. Vult. n. 7. Borch. n. fin. Hæn.
disp. Instit. 2. tb. 18. Borch. §. 2. J. de hered. quæ ab intest. &
in tr. de feud. c. 7. n. 18. Vult. 1. Jurispr. Rom. c. 23. n. 71.
Aliter *Diff.* quod hodiè amplius planè non requirantur pacta dotalia. *Treutl. vol. 1. disp. 2. tb. 6. lit. f. Cujac. 13.*
obs. 4. Don. 2. com. 21. Wesenb. §. fin. J. de nupt. n. 3. ibid.
Heig. n. 5. & alij. quibus meritò credimus.

31. Denique, ne quis opinaretur hoc jus acquisitum liberis per legitimum thorū, vel volentibus patribus acquiri, vel esse temporarium, & saltem ad mortem matrum, vel quamdiu constent nuptiæ durare: omnis tollendæ dubitationis gratia, superpondij quasi loco in d. *Nov. 74.* & pen. §. 1. addit, & liberos, invitis patribus, fieri legitimos, & semel legitimos effectos, manere debere legitimos, etiamsi matrimonium iterum dissolvetur, vel morte matris, vel repudio, imò,
et si



etsi pater superinduxisset aliam: adeò, ut, si pater, vel maritus, vellet expellere liberos, ut naturales, & uxorē, ut concubinam, id non sine pœnā amissionis quartæ bonorum, & violatione juramenti facere possent.

32. Videant itaque illi, quomodo sua pacta dotalia defendant, qui, nescimus ob quas causas, volunt liberos esse quidem legitimos stemmate, nolunt tamē eos gaudere jure legitimorum. Interim qui uberiora desideret, is a deat *Lancelot. tr. de attent. p. 2. c. 4. lim. 17. n. 5.*

33. Didicimus suprà ex Nov. 19. Imper. Justinianum invenisse modum, quemadmodum & libertinæ concubinæ, & ex illis procreati liberi, factæ factiq; fuerint legitimæ, legitimiq;, nimirum si præter manumissionem jus aureorum annulorum, & natalium restitutionem impetrassent. Verum, ut Imp. omnes circuitus & ambages contraheret, & quam citissimè ab antiquâ & connatâ quasi ingenuitate delapsos, ad pristinam, & primævam conditionem duceret, Anno 539. per Nov. 87. c. 1. ex quâ auth. nova alia. C. de natur. lib. nudæ manumissioni jus aureorum annulorum, & restitutionem natalium, salvō jure patronatū, adjungit, ut ita eō ipso, dum libertate à dominis donantur servi, jus aureorum annulorum & natalium restitutionem consequantur, nec speciali impetratiōne amplius opus habent, & per consequens, si libertinæ concubinæ, uxores ducerentur, & ipsæ, & earum liberi non solum ante, sed & post nati, legitimæ legitimique fierent, sine ullâ impetratiōne: cum nullum majus argumentum & libertatis concedendæ indubium indicium filiis ostendere possit pater, quam ostendendo matrem uxorem, legitimâ conjunctione.

34. Ulti-

34. Ultimò omnia hactenus enarrata, multoties
correcta, renovata, & interpetrata jura, quia varie &
quasi per satyram dispersa extabant, eodein Anno 529.ⁱ
in unam, una cum reliquis juribus liberorum natura-
lium, congesit Constitutionem, Nov. 89. nimirum, ut
ita magistratibus & judicibus, nec non studiosæ juven-
tuti, una pro omnibus sufficeret, epitomeque, ex quā
omnia jura sine labore hauriri possent, semper in-
promtu esset.

35. Cui mantissæ quasi loco, duas aureas regulas
generales, quando enumerata jura locum habere de-
beant, annexit. (1.) Cum liberi consentiunt. *Fach. lib.*
3. controv. 54. & cons. 85. n. 11. vol. 1. Boer. decis. 160. Treutl.
vol. 1. disp. 2. th. 6. lit. c. Donel. 2. comm. 21. Hackelm. in qq.
illustr. disp. 1. th. 22. lit. c. Diff. Serm. 1. select. interp. c. 8.
Covar. de spons. p. 2. c. 8. §. 2. n. 13. & alij quos allegat Fach.
*d. c. 54. Quo ipso satis superq; demonstrat, legitima-
tionem non favoris publici, sed privati causā introdu-
ctam fuisse. (2.) Cum quis unam habuerit concubi-
nam, non duas aut plures. Quod contrà illos diligentius
notandum, qui Jus Civile accusant, quasi vagam quan-
dam libidinem per concubinatum permiserit: quod
tamen magis ad libidinem restringendam, viam amo-
ris non intercludendam, concubinatum permisit.*

36. Priorem limitationem confirmat argumento
à contrario sensu h. m. ducto: Si patriæ potestatis vin-
cula invitis filiis dissolvere patribus permisum non est.
arg. l. nec avus 4. C. de emancip. & §. fin. J. quib. mod. pat.
poteſt. ſolv. multò minus pater filium contradicente in-
ſuam potestatem rapere poterit. Sed &c. Unus tamen
consentiens reliquis non præjudicat: Scilicet, quod

C

omnes



omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

37. Alteram probat ab absurdo: Eveniret enim exinde, ut, si quis duas haberet concubinas, & unam duceret in uxorem, uno eodemque tempore haberet & uxorem, & concubinam, quod contra castitatem, & matrimonij leges. §. antepen. J. de nupt. l. i. C. de natur. lib. l. fin. C. de manum.

38. Quod iterum summè notandum, contra illos, qui matrimonium intermedium ejusdem operationis esse putant, cuius subsequens: Treutl. vol. 2. disp. 16. th. 2. lit. a. Borch. de feud. c. 7. n. 49. Forster. de success. ab intest. lib. 6. c. 23. Vult. lib. 1. Jurispr. Rom. c. 23. n. 3. Et communiter Dd. Cum tamen manibus quasi palpent, legitimationis fictionem duas inferre uxores, & maximè iisdem obstarere. Nov. 18. consentit Hæn. disp. Instit. 2. th. 14. alii tamen ex fundamentis. Jungatur C. tanta. extr. Qui fil. sint legit.

39. Num verò liberi censeantur vel consentire vel dissentire? non levis est quæstio. Affirmantibus applaudimus, ducentes rationem ex l. Pomponius 40. §. fin. ff. de procur.

40. Atq; hæc sunt, quæ à Justiniano nostro, lectione assidua magistra, discere potuimus: Quæ breviter in summulam contracta, hanc legitimationis, seu, ut legalius loquamur, (nuspianum enim terminus LEGITIMATIO, in scholis tamen retinendus secundum ea, quæ pulcrè habet Rutg. Rul. tr. de commis. in jure nostro reperitur,) modi efficiendi liberos illegitimos, legitimos per connubium, circumscriptionem nobis præbent.

41. Est legitimatio, actus legalis seu inventum Imperatorum, quo liberi ex illis concubinis, quæ uxores justæ

justæ fieri possunt, nati, per subsecutas nuptias legitimas, pro conditione personarum, modò pactis dotalibus; modò testimonio Ecclesiastico; modò attestacione firmatas, jura legitimè natorum per omnia consequuntur, & illis assimulantur.

42. Nunc videbimus, quid subsequens ætas de hisce constitutis senserit. Illam autem in nullo fermè recefisse ab eis, afferere non erubescimus. Quod ut indubium faciamus, sequentia jura breviter enodabimus.

43. Et quidem notum est ex historiâ Juris, post Justinianum, *regnantibus in Oriente*, Justino, Tiberio, Mauritio, Theodosio, Phoca, Heraclio, Constantino, Heraclione, Constante, Constantino Pogonato, Justiniano II. Leontio, Absimaro, Philippico, Ardemio, Theodosio IV. Leone III. Constantino Copronymo, Leone IV. Irene, Constantino, Nicephoro, Michaële Curopalete, Leone V. Michaële II. Theophilico, Theodora, Michaële III. Basilio Macedone: *In Occidente Exarchis* Longino, Smaragdo, Romano, Callinico, Smaragdo iterum, Johanne, Eleutherio Isaacio Patricio, Theodora Calliopa, Olympio, Theodoro, Calliopa iterum, Theodoro, Johanne Platone, Theophylacto, Johanne Tyzocop. Scholastico, Paulo Patricio, Eutichio Patricio: *Imperatoribus* Carolo Magno, Ludovico Pio, Lothario, Ludovico II. Carolo II. Calvo, Ludovico III. Balbo, Carolo III. Crasso. &c. nihil innovatum fuisse: Post hos verò sequentem *in Oriente* Leonem VI. Philosophum, qui Anno post natum Christum 886. Imperator salutatus, & clavem Imperij tenuit usque ad annum 911. *regnantibus in Occidente* Carolo Crasso, Arnulpho & Ludovico III. cum ex

antecessorum editis Constitutionibus, maximè vero
basilicis, & consuetudinibus contrariis, legalem scien-
tiā iterum perturbatam & confusam viderit, proin-
deq; communis vitæ negotia rursum deorsum subsul-
tim ferri conjecerit, reformationem jurium instituisse,
& novellum jus partim Justinianeum declarans, partim
abrogans, edidisse. Idq; secutas & alias Successorum
Constitutiones, quas in epitomen conjectit Harmeno-
polus Judex Thessalonicensis, & ex parte collegit Eni-
mundus Bonefidius *in lib. suo de jur. Orient.* quibus de-
quædam excerptæ in nostro corpore leguntur.

45. In his autem duo notatu digna occurunt.
(1.) Quod Leo Philosophus L. probrosè cū concubinis
immisceri non erubescientibus, permittentem ; peni-
tus ex solo legali , eō , quod honestatem susque deque
habeat, Rempub. afficiat, præceptis divinis & natura-
libus reluctetur, eradicatorerit *Nov. 91.* satis significans,
Antecessores suos contra præcepta juris multis modis
peccavisse : Et melius esse extirpare arborem malos
fructus ferentem, quam radice relictā, fructus ma-
los artificio bonos reddere : *juxt. l. fin. C. in quibus caus.*
rest. in integ. (2.) Quod Alex. Comnenus in sua constit.
p. 3. voluit sponsalia celebrantur in facie Ecclesiæ.

45. Quicquid tamen sit, harum constitutionum
exiguam, vel omnino nullam esse in nostro Imperio
Romano autoritatem, res ipsa loquitur, & imprimis
ex eo probatur, quod, cum Imperij Romani dignita-
te, deficientibus nimis Germanis, Hispanis & Gal-
lis aliisque occidentalibus populis, legum disciplina-
paulatim labi & vilescere cäperit : & Imp. Lotbarius

in falso lib. de leg. & cons. c. 3. cito Saxe

OMIS



Saxo dum Anno Christi 1137. in Apulia leges Justinianaeas repererit, Pisanisq; donaverit, illas ipsas saltem explicari, & secundum eas jus dici, jussorit.

46. Num hortatu suasuq; Irnerij jam non disputamus. Videmus enim Lotharium eodem anno mortuum fuisse, & tamen asseri à Valent. Forst. in hist. jur. lib. 3. c. 6. Vult. in proleg. ad Jurispr. Rom. id factum fuisse, Anno 1150. Irneriumque è vivis decessisse Anno 1190. cum econtra Calvis. in sua Chronol. in vita Philippi Suevi fol. 693. m. 1. referat Irnerium sive Wernerium floruisse Anno 1200. Et in vita Friderici I. fol. 670. Bulgarum & Martinum Anno 1158. paci factæ (quo tempore auth. habita. C. insertam fuisse, ex proœmio & subscriptione designante locum & tempus, credibile est) interfuisse.

47. Succedunt *Decreta*. Dum enim jus Justinianum, ut modò audivimus, à Lothario Saxone, postlimino quasi revocatum, & Dd. certatim id explicantum eunt: quām laboriosè & periculosè, ex temporis diuturnitate, quæ non solùm res, sed & nomina rerum, cum statu Reipub. immutare solet, cuivis in aperto est, anno abhinc 14. videlicet Anno 1150. decreta & sententias Patrum Gratianus Monachus S. Felicis apud Bononiam Ordinis Benedicti compilat, ejusque laborem Eugenius III. Papa confirmat, & in scholis legi mandat.

48. Et ex hoc librō deprehendimus, non improbatum fuisse nostrum modum legitimandi liberos naturales, nec pro peccato habitum in conjugem suscipere concubinam. c. inter cetera. 22. q. 4. neque indignum Christiano, habere concubinam. c. Christiano.

C. 3

E. c. 4.

C. 4. dist. 24. si palearum rationem non habemus,
quod tamen non est faciendum, monente *Alciat.* in
prefat. ad decreta glossata. & præterea primò dotem ad
matrimonium necessariam fuisse. *c. nullum. 30. q. 5.* & *c.*
51. quis 9. eod. ex Nov. 74. c. 4.

49. Progredimur ad *Decretales Epistolas*, quas *Gregorius IX.* operâ *Raymundi Capellani* & pœnitentiarij
sui Anno 1230. sub Friderico II, in lucem emisit. In his
videmus manifestè Pontifices idem cum Imp. nostris
sensisse.

Casus
50. Cum enim *Alex. III.* qui Anno 1159. ad sedem
Romanam accersitus, super hac facti specie: Relique-
rat quis fratrem & filiam ex uxore conceptam &
nata ante despositionem, consultus fuerit: Num fi-
lia succedat patri, excluso patruo? Respondit, eam
legitimam pronunciandam, & patruo inhibendam, ne
super hereditate paterna molestiam ipsi inferat. *c. 1.*
extr. q. fil. sint leg. Eo ipso fatis indicans, subsequens
matrimonium filiam legitimam effecisse, secundum
dispositionem legum civilium, quæ non dedignantur
sequi sacri canones. *c. 1. de oper. nov. nunc.*

51. Sic in *c. 2.* ubi idem *Alex.* negativè respondet,
ad hanc quæstionem: Num liberi semel per matrimo-
nium legitimi nati vel effecti, matrimonio dissoluto,
etiam legitimi esse desinant? nulla alia ratio dari pot-
est, quam partim *ex l. 11. C. de natur. lib.* partim *ex Nov.*
74. c. fin.

52. Ita in *c. 3. ejusdem tit.* puer nutritus expressè
legitimationem pro suo fundamento adducit, eamq;
Pontifex, dum liberi legitime nati reclamant, & non
negant jus, sed factum, allegantes pro comproba-
tione

tione testimonium parentum, quod puer elidere conatur per testimonium vicinorum, Response sua ad factum: in dubio magis standum assertioni parentum quam vicinorum: In claris autem & stantibus indiciis indubitatis, eum filium & omnino legitimum esse, propter copulam subsecutam, tacite approbat.

53. Quod minus autem quis dubitari possit de concordia juris Civilis & Canonici, idem Alex. in c. 6. expressè in hæc verba prorumpit: Tanta est vis matrimonij, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.

54. Quando autem addit: *et si autem vir vivente uxore sua aliam cognoverit, & ex ea (pellice & succuba,) prolem suscepit, nihilominus manere filiam spuriā, ratio iterum ex legibus desumenda est, nempe Nov. 89.* quando jura loquuntur de concubinâ legitimâ, qualis ea esse nequit, quæ habetur penes uxorem, l. i. C. de Concub. Quod tamen Innocentius III. ad scientes c. 14. d. t. restringit. Inspiciatur inter Maynardi decis. Thol. 6. lib. 4. quas Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Hier. Brückner, avunculus & affinis noster ætatem suspiciendus, è gallico sermone in latinum transtulit, & non ita pridem in lucem emisit.

55. Atq; sic idem, si solutus maritatam pro concubina haberet, in c. cum haberet, extr. de eo qui dux. in matrim. & c. causam quæ. extr. qui fil. sint legit. statuitur.

56. Pessimè itaq; Dd. ut Cc. communiter. in d. c. tanta ibigz Abb. n. 2. extr. qui fil. sint legit. Tessaur. decis. Pedemont. 83. n. 1. Dec. cons. 155. col. 2. Fach. 3. controv. 51. distinguunt inter jus Civile & Canonicum, quasi differentiam faciat, & illud requirat pacta dotalia, hoc verò minimè: cum ne minimam jotam de hac discordiâ habeat.

57. Ulte-

57. Ulterius, cum ex legibus pateat, legitimatum tunc deum procedere, quando matrimonium cum concubinâ esse potuit; & dubitatum fuerit, num post mortem conjugum etiam de injustis nuptiis disputari possit, *Cælestinus III.* affirmativam stabilit in c. pervenit n. d. t. quâ de quæstione fusissimè *Wesenb.* in conf. 44. omnino evolvendus.

58. Properamus ad *Consuetudines Fendales*, quas partim decretis juniores, partim decretalibus synchronas, & posteriores esse existimamus, ut licet colligere ex allegatis *Constit. Impp. Friderici, Conradi, Lotharij &c. de forma 18. 22. q. 5. in tit. 6. F. 2. & Odof. ad auth. cassa & irrita. C. de SS. Eccles.*

59. Et ex his, tit. 27. lib. 2. qui continent duas Epistolas Oberti de Orto ad filium suum Anshelmum, notamus, filios naturales, et si postea fiant legitimi, per matrimonium, non tamen legitimis æquipari, *Sonsb. de feud. p. 9. n. 72. Ant. Gab. Rom. in comm. conclus. tit. de legitim. concl. 1. n. 22. Rosenth. de feud. c. 7. concl. 18. n. 1. Dec. conf. 155. n. 4.* quicquid etiam quidam contra assertant. *Dd. Andr. de Isern. in d. §. Wes. cons. 44. n. 41. & 42. Curt. jun. cons. 136. quos sequitur Geil. 2. obs. 141. & Assessores supremæ Curiae teste Myns. 4. obs. 42. Boer. decis. 123. Clar. in §. feudum. q. 82. n. 4. Borcb. de feud. c. 7. n. 48. Wesenb. de feud. c. 6. n. 9. H. Pist. 2. qq. 41. n. 1. & communiter Dd. in d. c. tanta.*

60. Esse enim sensum d. §. liberii, si post delatam successionem fiant legitimi, non succedunt in feudis, uti ita respondet ad §. Hartys. in sua avahut. p. 50. & à verbis præcedentibus, & à latinitate, & ab omni ratione alienum esse putamus. *Quis enim pro licet, quæ dictio amplia-*

ampliationem denotat, legit, si, quæ est vox conditio-
nalis, limitationem inferens. Videatur *Otdr. conf. 247. in
fin.* Et cur verba præter necessitatem impropriabimus?

61. Velle autem d. text. restringere ad legitimatio-
nem per rescriptum, ut multi faciunt, incogitantiæ po-
tiūs quam subtilitatis argumentum esse, docet *Just.
Meier. in disp. Argent. ad lib. 25. tit. fin. th. 10.*

62. Atq; hinc multo magis idem dicimus, quando
investitura loquitur de legitimè natis. Sunt enim
verba investiturarum, non secundùm jus Civile, sed se-
cundùm jus Feudale interpretanda; quod illos saltem
pro legitimè natis reputat, qui ex justo matrimonio
procréati, non qui naturales & postea legitimi effecti
sunt. Evolvatur tamen *Wesenb. conf. 44. n. 43. H. Pst.
9. 41. Paris. conf. 1. n. 144. vol. 2.*

63. Quod attinet *Decretales Epistolas Bonifacij Octa-
vi*, sive librum *Sextum Decretalium* publicatum Anno
Christi 1298. 3. Martij, *Autor Chron. Belgic.* nec non *Cle-
mentinas*, quas *Johannes XXII.* successor Clementis V.
quia Clemens morte præventus Anno 1317. publicas
fecit, *idem Chron. Belgic.* & *Extravagantes ejusdem Joha-
nis XXII.* in his, quod dignum relatu, & nostro propo-
sito commodaret, nihil videmus.

64. Transitum rectà facimus ad *Auream Bullam Ca-
roli IV.* Anno 1356. promulgatam, & ad insequentes
Recessus Imperij.

65. Et quod *Auream Bullam* spectat, *ad c. 73d. Aurea-
Bulla dubio marte querunt Dd. Num. d. c.* quod tribuit
filio Electoris præmortuo primogenito legitimo vo-
tum, & potestatem eligendi Imperatorem, sit etiam
extendendum ad legitimatum? Et pro horum admis-

D sione

Eiusfie in

sione pugnant jura nostra civilia , quæ sequitur Heinr.
Rosenth.p.7.c.18.n.10. Ludov. Molin. de Hisp. primogen. lib.3.
c.1.n.6. Cæval. in spec. com. opin. q.606.n.11. quos refert Bux-
dorff. in differt. add. A.B.th.85.lit.b. A quibus tamen cum
Menoch. cons. 16.n.8.9. referente Wesenb. cons. 44.n.43. dis-
sentiremus, si res ex jure feudali decidenda esset, & non
potius ex modernâ consuetudine , quam in contra-
rium hodiè extare, Dd. asserunt. Schurz. cons. 1. n.17.c.1.

66. Interim albo lapillo notanda est historia de
Friderico II. Imp. cui necesse fuerit in publicis comitijs
Merseburgi habitis, postulantibus Imperij Principibus,
fidem natalium suorum vindicare, idoneis ad hoc pro-
batis documentis. Spangenberg. in Chron. Sax. c. 247. 1q

67. Ad Recessus Imperij quod attinet, ex illis , & qui-
dem Reformatione Francofurtanâ Anno 1442, instituta,
constat, neminem ad scabinum assumendum esse, qui
illegitimè natus. Quia autem is , qui per subsequens
matrimonium legitimus effectus est , propter fictio-
nem, quæ se ad nativitatem retrahit, pro legitimè nato
habetur: ideo non dubitamus, quin ejusmodi ad sca-
binatum promoveri possit. vid. Modest. Pist. cons. 46. n.5.
& seqq. vol. 1. Licet Cameræ Imp. Assessores naturales
etiam legitimatos, propter infamiae notam, quâ aspersi
esse videntur , secundum Bl. qui, ut refert Tiraq. tr. de jur.
primogen. q.34. n.18. dicit, post legitimationem nihilo-
minus manere cicatricem & lituram , & Dd. magno
numerò à H. Pist. lib. 1. pr. q.30.n.4. citatos, contrà bonum
arg. l. imperialis 23. §.1. C. de nupt. l. fin. ff. de natal. restit. &
rationem, quod Dominus II. in ijs quæ juris sunt, proce-
dit secundum veritatem non fictionem. Br. in l. si is qui
pro emptore ff. pro empt. Barth. Kellenb. de success. renunc.
quest.

quæst. 35. n. 24. & seqq. Joh. Jacob. Plebst. p. 4. disp. 4. tb. 99.
ad Assessoris dignitatem minimè admittendos censue-
runt. ut testatur Myns. 4. obs. 31. & Magenhorst. in ordin. Ca-
meræ. p. 1. tit. 3. ubi exemplum, quibus tamen aditus ad Epi-
scopatus patet; autorit. Gail. 2. obs. 141. & ferendi arma
plena domus, & familiæ concessa, ut dicit Joach. Steph.
de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 5. memb. 1. n. 70. & probat. gl. latin. fin. ad
art. 72 lib. 3. Land R. Lehn R. art. 21. ibi: so fern er Ehe-
lich geborn. Et statuta opificum, ut nemo recipiatur
in collegium, nisi qui legitimè sit natus, quæ valent, teste
Schneid. in §. constat. n. 15. J. de J. N. G. & C. tamen sint
extendenda ad legitimatos per subsequens matrimo-
nium. ut docet Bl. int. acutissimi. C. de fideicom. citatus ad
H. Pift. q. 41. n. 3. & 14. Boer. decis. 159. n. 5. Molin. in consuet.
Paris. tit. 1. §. 8. gl. 1. n. 49. Paris. conf. 15. n. 7. vol. 2. maximè,
cùm asserat Wesenb. ad §. fin. J. de nupt. ejusmodi statu-
tum, contrarium, expressè excludens legitimatos, cu-
jusmodi Magdeburgi, & in alijs honestis civitatibus ex-
tat, non valere contrà matrimonij jus & favorem.
Schurf. conf. 1. cent. 1. Joach. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 2. c. 8.
n. 39. & 40. Paris. conf. 15. n. 7. vol. 2. à quibus tamen
propter sequentes rationes recedere cogimur. (1.)
Quod nihil tam naturale, quod non eò modo quò col-
ligatum dissolvi possit. l. nihil tam naturale. de R. Jo. (2.)
quod etiam matrimonio hanc viam denegaverit Zeno.
l. 5. C. de natur. lib. (3.) quod consuetudo feudalis et-
iam excluserit legitimatos à successione feudi.

68. Vnde Recessus qui dicunt, omnes, qui Ehelich
gebohren/recipiendos esse in societatem & collegium,
legaliter & cum grano salis, ita ut non legitimati exclu-
dantur pro conditione litis, intelligendos esse, omni-
nò nobis persuasum habemus. D 2 69. Prä-

N

69. Præterea in d. Recessibus Imperij etiam concubinatus est prohibitus, ut in der Reformation guter Policien zu Augspurg/ Anno 1530. tit. von leichtfertigen Beywohnungen / ibi: diesweil auch viel leichtfertige personen außerhalb von Gott auffgesetzter Ehe/zusammen wohnen / repetitum iisdem verbis, in der Reformation guter Policien zu Augspurg/ Anno 1548. tit: Von leichtfertigen Beywohnungen / vnd in der Reformation guter Policien zu Franckfurt. Anno 1577. predict. tit. qui est num. 26.

70. Si quis tamen confessim cum Duar. ad tit. de inoff. testam. c. 6. concludere vellet, quia concubinatus est prohibitus, & sic merè naturales liberi amplius nondantur, uti de Gallia testatur. vid. tamen Guid. Pap. decis. 580. Boer. decis. 127. n. fin. Pal&ct. d. notb. c. 60. Ergò concubinatus inter damnatos coitus referendus; & per consequens jura de liberis naturalibus scripta, nullius erunt ponderis: Ne quidem in Romano - Germanico Imperio (quid in Oriente vid. Busbeq. epist. 1.) legitimacionum usus cerneretur. Quod tamen à nemine cordatiorum, nisi experientiæ plenâ fauce obloqui velit, affirmatum vidimus. Inspiciatur tantum gl. latin. ad art. 51. lib. 1. Landrecht.

71. Illud sanè inficias ire non possumus, non dari hodiè propriè liberos naturales, nisi in illis locis Imperij, ubi adhuc concubinatus impunitus relinquitur, quorum aliquos, inter nobiles, in inferiore Saxonia esse, testantur illarum gentium homines.

72. Non veremur tamen hodiè omnes liberos indigitare naturales, qui extra matrimonium ex honestâ & inculpatâ (nam meretricum & prostibulorum liberos,

beros, spurios & bastardos vocamus) fœminâ, cum quâ
nec adulterium, nec incestus, vel alius nefarius Coitus
committitur, sine sponsalibus & benedictione sacerdo-
tali procreantur. vid. Wesenb. cons. 44. n. 54. Et c. aliter 30.
q. 5. nec non Pet. Paul. Bus. ad l. in liberâ 24. de Ritu Nupt.

73. Ultimo loco ad *Jus Saxonum* nos conferimus,
quia partiale & provinciale, non vniuersale & genera-
le: licet jure civili & Canonico partim antiquius; par-
tim recentius; partim cum eò coœtaneum; prout par-
tes ejus considerantur.

74. Et quantum ad *bona allodialia*, legitimos effe-
ctos liberos per conjugium, non ambigendum esse
putamus, quia nullibi contrarium decisum reperitur,
quin pari passu cum legitimè natis ambulari debeant.
fac. art. 4. Weichbld. in fin. ibi. ist sie Rebisch/sie mag ei-
nen ehelichen Mann nehmen / vnd Ehefinder immer
gewinnen. Magdeb. p. i. l. 14. dist. 3. maximè cum duæ re-
periantur exceptiones, quæ firmant & præsupponunt
contrariam regulam.

75. Vna in art. 37. lib. 1. *Landrecht*. ubi mater per
violentiam stuprata, & deinde in uxorem ducta: Cujus
rationem gl. germ. add. art. 37. n. 4. dat, quod matrimo-
nium non subsistat, inter violenter stupratorem & stu-
pratam.

76. Et ad hanc collimârunt Magdeburg. p. i. c. 14. dist.
3. qui sententiæ suæ non sine mysterio, inseruerunt ver-
ba, mit ihren willen / Dissent. gl. Schurer. Et Hartys. ci-
tat. loc. putantes d. art. ex reprobatis esse.

77. Altera in art. 45. lib. 3. in clericorum liberis, du-
cta concubinâ in uxorem.

78. Illud tamen surdo pede hic præterire non pos-

D 3 sumus,

fumus, quod refert Tacitus: Veteres Germanos severa
matrimonia coluisse, & solos singulis uxoribus con-
tentos fuisse.

79. Perquam multum autem nostra interest hoc
scire. Nam illegitimè natus secundùm jus Saxonicum,
non potest tollere ex matrimonio liberos legitimos, ne
mala arbor proferat bonum fructum. ut rectè art. 38.
lib. 1. *Landrecht*. interpretantur Magdeburgenses. Diff. gl.
germ. 9. ad art. 45. lib. 3. *Landr.* Magdeb. p. 1. dist. 4. c. 14.
nechabet successorem. art. 51 lib. 1. *Landr.* Nisi uxori em
quoad dotem vel portionem statutariam. addit. ad gl.
germ. d. art. 51. verb. *Man sage auch!* Magdeb. p. 1. c. 14.
dist. 2. Sicuti de tali consuetudine in Marchiâ Brande-
burgensi, quæ tamen per reversum Anno 1534. 38. 72. ab-
rogata fuit, testatur *Scheplitz in promt. jur. tit. 30. §. 1.* & de
privilegio Aquensium: ne cui ad collegij societatem
aditus pateat, qui vel ipse originis macula notatur, vel
ipsius parentes. *Petr. à Beck. in Aquigr. c. 21.* qui & c. 3.
exemplum refert de Carolo Marcello, cuius de causa
tempore Caroli Magni lex lata, ne deinceps in regno
Galliae, spurijs, ut ut à parentibus agniti, admitterentur.

80. Secundùm verò jus Civile mulier naturalis fi-
lio legitimo nubens, fit legitimā. teste *Bl. in l. si quis. C. de*
natur. lib. quod singulare dicit & commendat, *Dec. in l. 2.*
de R. J. & Hippolyt. Marsil. sing. 501. Quibus in auxilium
mittimus. *Nov. 89. c. 1. l. mulieres C. de dign.* sed non sine
inspectione tradit. à *Petr. Heig. p. 1. q. 21. n. 64. 65. & l. Im-*
perialis 23. §. 1. & 2. C. de Nupt.

81. Quod si verum, ut asserendum, ne in infinitum
procedamus, & multorum natalium legitimitatem
in dubium vocemus, in promptu habemus responsio-
nem

Cupitio nisi

nem ad quæstionem illam nobilissimam: Num nepotes mortuo patre per avi matrimonium cum concubinâ, ex quâ ipsorum pater natus, celebratum, fiant legitimi? Nempè nisi pater naturali fœminæ vicissim se se copulaverit, nepotes per patris matrimonium legitimos natos fuisse. Sin falsum, ut multis gl. latin. ad art. 51. lib. 1. Quid R. evincere conatur, & illi, qui in dubium hanc quæstionem vocant, tacite præsupponunt, vel naturalis naturali conjugatus est, dicimus consultius esse, vel petere se declarari legitimum, ut potest arg. eorum quæ habet Wesenb. in cons. 44. n. 4. vol. 1. vel impetrare legitimationem per rescriptum: licet non nesciamus, legitimationem per Rescriptum non procedere, quando mater in uxorem duci potest, ex Nov. 74. c. 1. Bocer. de Regal. c. 2. n. 69. Raudens. tr. de analog. c. 36. n. 35. Joh. Bapt. Cost. de fact. scient. & ignor. cent. 1. dist. 17. n. 20. & multis modis eam deteriorem esse legitimatione per matrimonium. Nov. 89. c. 9. & melior sit eorum opinio, qui nepotem per avi connubium legitimum fieri aestimant. ut Treutl. vol. 1. disp. 2. th. 7. Hæn. disp. Instit. 2. th. 16. Chassan. in consuet. Burg. tit. de success. rubr. 8. §. 5. n. 42. & Fach. lib. 3. controv. 56. & aliorum ab eo ibidem relatorum. Diss. Geil. 2. obs. 141. in fin. Val. Forst. de success. ab intest. lib. 6. c. 30. n. 1. & vulgo Dd. vel configere ad l. diffamari. Blas. ad eam c. 2. p. n. 69.

82. Quantum verò attinet ad bona Feudalia, Jus Sax. Feudale, expressè removet à feudi successione vneheiliche geborne Kinder / art. 2. & art. 21. ibi: der Sohn behelt des Vatern Schild vnd Adel nach seinen Zode zu Lehnrecht / so fern er Ehelich geboren / LehnR. Facit, quod nec illegitimus jurisdictionem in feudum ha-

bere



bere & accipere possit. art. 64. Lehn R. gl. germ. verb. jeg-
licher Richter / lib. 3. art. 53. Landr. quæ verba ex jure
Feudali communi explicata, titi deberemus, nisi novior
consuetudo adesset non possunt trahi ad legitimatos,
licet secundum dispositionem juris Civilis optimè id
sieri posset.

83. Et licet aliud pronunciatum fuisse videas, ex sen-
tentij post Welchb. tit. Wie die vngelichen Kinder
durch die folgende Ehe ehestlich geboren werden: Atta-
men Illustrissimi Ducis & Electoris Mauritiij, inclytæ me-
moriae ordinatio provincialis, tit. Von den aus der Rita-
terschafft / welche Kinder außerhalb der Ehe zeugen/
vnd ihr Lehngut auff sie Erben wollen. p. 32. Anno 1543,
promulgata, quæ valida, juxta consilium Ingolstadiensem
subjectum H. Pist. q. 41. in contrarium extat, secundum
quam tamen nunquam judicatum, sed totum contra-
rium in contraditorio judicio obtentum fuisse scri-
bitidem H. Pist. q. 41. in fin.

84. Et hinc subsistimus: Quia in Novellis Augusti &
reliquorum Dn. Electorum Saxoniorum constitutionibus,
nihil notabile nobis occurrit: Diligentiores tamen
& oculatiores, si quæ digna notatu repererint, nobis
vel publicè vel privatim communicare haud graven-
tur, obnoxie rogantur. Quid in unaquaq; provinciâ
vel civitate observetur, ex singulis juris provincialis
ordinationib. & statutis, ut ex Hassiacis tit. 9. Noriberg.
tit. 33. Lubecens. lib. 2. tit. 2. §. 9. Culmensi,

lib. 3. c. 29. Tubingensi tit. 17. & aliis
hauriendum.

Christo Benigno Lans.

•(O)•

ULB Halle
006 682 146

3



KD7

Farbkarte #13

B.I.G.

| | | | | | | | | | |
|-------|-------|---------|-------|---------|-----|--------|-------|------|------|
| Black | White | 3/Color | White | Magenta | Red | Yellow | Green | Cyan | Blue |
| | | | | | | | | | |
| | | | | | | | | | |
| | | | | | | | | | |
| | | | | | | | | | |

